

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

ergo mali in Republicā nostrā ab illo mihi expectandum amplius, nisi quod (more suo) non cessat & Senatui & mihi, sed mendaciter, nescio qua ob-  
jicere apud suos tribunitios. Audio, Marchionem Pforzensem ipsum ad gu-  
bernandas Ecclesias suas vocasse. Scilicet huic mandabis, si quid restet tu-  
ratum velis.

Uxor mea 23. Februarii me novā prole, filiolā Magdalēnā, parentem fe-  
cit satis feliciter, divinitus adjuta. Hæc & humanitatem tuam, cumpri-  
mis vero uxorem tuam, sicut & focrus mea, amanter salutat.

Prodiit scriptum hisce nundinis sub nomine Illustrissimorum Fratrum  
Ducum Saxoniæ, quod quomodo tibi probetur, cupio cognoscere. Impe-  
rator (quod bona fide tuæ fidei committo) serio expositulavit eum Domi-  
nis meis propter Reformationem Ecclesiarum in agro, & quod Catholicis  
(sic suos appellat) non concedant publicum concionatorem, sed masculine  
ipsi responderunt & ita piè, ut maximas ego pro hac constantiam agam gra-  
tias & Domino Deo & ipsis etiam. Utinam & reliqui Magistratus hujus  
essent animi, facile crederem, posse eos aliquid in his comitiis pro tollendâ  
omni idolomania impetrare.

Illustrissimus Princeps Bipontinus, Wolfgangus, qui successit Electori  
in superiore Palatinatu, literas ad Magistratum nostrum non tantum pietati-  
ris, sed omnis humanitatis & officiorum plenissimas, tanquam vicinus scri-  
psit: Senatus ergo noster, non literis sed missâ honestâ legatione vivâ voce  
amicissimè respondit. Gratulor revera nobis & Ecclesiæ, talem nobis vici-  
num contigisse. Bene vale & rescribe quæso. Amanter, officiosè & reve-  
renter salutabis universum & Theologicum & Philosophicum Collegium.  
Cumprimis verò D. Rectorem.

Datae Ulmæ, 7. Aprilis, Anno 1559.

T. T.

Rabus, D.



### LXXI.

*S. D. Reverende Vir & Carissime Frater.*

**A**Ccepi tuam epistolam, in qua significas, deliberatum esse apud vos, de  
mittendis iis ad Conventum Augustanum, qui anno superiore in Urbe  
Vangionum interfuerunt Colloquio. Malim in Latomias mitti, quam ad illas  
vanissimas rixas, in quibus non quæritur veritas, sed ludi excentur so-  
phismatum & ab aulicis, & ab iis, qui aulis assentantur. Precor autem Filium  
Dei,

A. 1559.  
 Dei, ut nobis opem ferat. Mitto tibi pagellas de Bavaria Inquisitione, & mitto tanquam Censori, teq; oro, ut & tuum judicium & aliorum piorum & eruditorum significes. Nunc autem & Justi Menii filium, Augustum Menium, tibi commendo, qui petit sibi locum tribui inter eos, qui aluntur in Monasterio Prædicatorum. Pater, ut scis, utiliter servivit Ecclesiæ Dei, & annos triginta sustinuit omnia Episcoporum onera in Tyrigetis, docuit voce & scriptis, refutavit ~~etiam~~ acerrimis contentionibus, dijudicavit controversias dogmatum & conjugiorum, rexit inspectiones Ecclesiarum, etiam in redditibus ordinandis. Pro his magnis laboribus hæc est redditia gratia, ut pulsus sit cum magno damno, quia scriperat, novam obedientiam necessariam esse, ad retinendum Spiritum Sanctum. Nunc propter eandem causam captivi sunt viri optimi Pastor Jenensis & Victorinus. Hæc scio te & alios abhorentes à Sophistica non sine magno dolore cogitare. Majore igitur studio conjunctionem nostram tueamur nos, qui & veritatem & pacem diligimus, sicut præceptum est: *Dilige veritatem & pacem.* Valde te oro, ut huic Augusto Menio opem feras. Bene vale & rescribe. Calend. Maii Anno 1559.

Philippus Melanthon.

## LXXII.

S. Responderam ad tuas diebus proximis, Marpachi suavissime, neq; accidit interea, quo de magnopere scribam; nisi quod de sectæ Davidicæ autore fama ad nos pridem detulit. Pluribus is annis apud nos delituit, familiam habuit numerosam & moribus ad pietatem mire compositam, suis præfuit in usitatâ quadam autoritate, homo sine literarum doctrinâ, sed solertissimi ingenii, nomen mentiens Jo. à Brugis. In oeconomia admodum magnificus & generi, ejusq; nobilis & locupletissimi, facultatibus, partim ex suæ sectæ hominum in Galliâ Germaniaq; inferiore degentium collatione, sicut accipimus. Doctrinæ capita prodigiosa sunt evacuantia Christi & naturam & munus, in hunc ipsum Davidem ejus dignitatem transferentia, constituentia nescio quale temporarium regnum. Artificio hæc deprehendit magistratus, ut qui simul accessitis in Curiam de hoc grege viris omnibus, inc; vinclula conjectis, chartaceam interea supellestilem, in singulorum domibus perquisitam, inventaque, Jurisconsultis & Theologis perlegendam exhibuit. In examine captivorum nullus repertus est, qui non detestaretur doctrinam, quam dixi; quorum aliqui hæc prodigiosa capita ignorasse videntur, forte quod omnia metuens, & seipsum occasione serviens autor, ne liberis quidem suis arcana cre-  
 M 2 dide-